naufragentur, et ipsum quodammodo ante lucis aspectum luce (teste ex-
perientia) priventur, suumque ante spiritum, si dicere liceat, expirent.
Verum ipsa haec Vicissitudo luce meridiana clarior, ut caveri, impedirique
vix potest, ita deplorari, lugerique à nobis minus debet, oratio-
neque explicari. Posterior, quae execranda ignaviae appendix
et proles est, ea sola in conspectum nostrum nunc prodibit, ut
eadem, quae pessum ire videntur, si diligenti cura exercitioque
excolantur, certò peritura sint nunquam, utrumque breviter
demonstrabo. Fiat igitur haec praepostera Vicissitudo, seu si
malis, horrida lues, tam longè lateque suos lares ut esse vi-
deam in Orbe terrarum nil tam sublime, quod non pervadat,
tam profundum, quo non penetret, tam abditum, ut lateat, tam
forte, ut resistere, tam denique vetustum, quod illam fallere
possit; tanta est amplitudinis, ut claudi septibus, aut coarcta-
ri carceribus nullis unquam potuerit, sed quemadmodum minax
Araxes pontem indignatus rupto aggere omnia pervadit, im-
manique impetu universa devastat, ita haec in re quacunque
immensa divendere damna, obruere vacanta, improvida
delere consuevit: quid? quod non pictis vestibus, non rutilan-
tibus gemmis, ferro durissimo, metallisque nobilissimis, aut
agris, militumve caedibus ingluviem mitigat. Sed ut Hy-
drops aqua sitim provocat, non levat, Crocodylus post
miserabiles humanorum artuum epulas lacrimis crudeli-
tatem deflet, non tamen aufert, et Lybiae Elephas viso san-
guine rabiem accendit, non extinguit, ita et haec illarum
interitu nescio qua orexi impulsa ad altiora accendit,
adeo demum ut quasi terrena pertaesa ad Divina, sacraque